

QUAER. 3^o *An filius teneatur credere matri etiam iuranti, illum illegitimum esse?*

Resp. Neg., quia ex iure et sensu communi nemo tenetur credere uni testi etiam probatissimae fidei. Secus tamen, si praeter testimonium matris accederent indicia evidentia, v. gr. absentia patris a longo tempore. — S. Lig. n. 654. — Laymann. — Roncaglia.

734. — QAER. 4^o *An si adulteri, vel fornicatores opulenti prolem ad brephotrophium miserint, ad impensas resarciendas teneantur?*

Resp. Controvertitur. 1^a SENTENTIA communior et probabilior affirmat. Ratio est, quia brephotrophia sunt instituta in gratiam infantum non vero parentum; nec praesumendum, eorum fundatores a solvendis expensis divites eximere voluisse. — Lugo, D. 13. n. 3. — Billuart. — Bouvier, *de Restit.*, p. 2. art. 2. — Carrière, n. 1373. Roussetot *opusc. de sexto praec.*

II^a SENTENTIA negat, quia brephotrophia erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus, qui a parentibus abiiciuntur. Neque obstat, quod subsidia a Gubernio vel a Municipio pro istis parvulis praebentur; quia haec pro puerulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad

terminato exigi possit debita restitutio, et in hoc damnum singuli consenserunt volendo copulam per se causativam eiusmodi damnorum, uti argumentatur Ills. n. 97. etc. Et hanc quidem rationem egregie urgent Dicastill., Reding, Pettschacher, Illsung, Mezger etc. apud Babenstuber (Tr. 7. disp. 5. art. 3. §. 3. n. 38.), et Elbel (*Theol. Sacr.* part. 3. conf. 18. n. 452.). Porro S. Alphonsus vim argumenti non negat, sed mere exigit, ut adulteri hoc damnum praeviderint: quae quidem praevisionis cuiusmodi esse debeat, docet idem S. Doctor (*De Act. hum.* n. 10.), ubi postulat, quod agens ponendo causam, advertat, saltem in confuso, huiusmodi effectum fore ex illa causa secuturum. Quae quidem verba non ita sunt accipienda, quasi agens nosse debeat, ex actione sua eum effectum certo secuturum esse, sed ita, ut, si effectus sequatur, agens noscat, effectum actioni suae tribuendum esse. Licet ergo incertum sit, an ex adulterio mulier conceptura sit, aut ex armorum explosione occisio sit secutura, si tamen aut proles

ex adulterio, aut mors sequatur ex armorum explosione, nemo dubitat, quin effectus adscribi positae causae debeat. Porro cum ex adulterio patrato aut susceptio proles, aut incertitudo, de qua sermo, si forte alter adulter ad adulteram accesserit, eiusmodi sint effectus, qui non per accidens, sed per se ex utriusque adulterio sequuntur; nimis profecto aegre praetendi potest excusatio, quod sequuti damni nulla, ne implicita quidem, praecesserit praevisionis. Secus excusandus videretur etiam adulter, qui de secutura ex proprio crimine prole nihil omnino cogitasset, aut etiam qui sibi suasisset firmiter, prolem ex eo adulterio secuturam nullam esse. At eiusmodi excusationibus praevalet, quod quisquis crimen aggreditur, consecratorum quoque ex eo per se obvenerit onus aut explicite aut implicite in se suscipit. Inde factum cernimus, ut cum tot Auctores gravissimi hanc controversiam omni ex parte accurate tractaverint, solus tamen Pettschacher, quem dein utcumque secuti sunt Elbel et Babenstuber, hanc exceptionem obiter deprompserit.

parentes attendatur. Insuper huiusmodi hospitia instituta sunt eo fine, ut infantes illegitimi liberentur a periculo mortis tum aeternae, tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in piis illis locis exciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiae metus adegit, sive ad abortum proles suae procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrunt. — Ita S. Lig. n. 656., qui hanc sententiam putat probabilioem.

Attamen conveniunt etiam patroni huius sententiae, in praxi enixe adhortandos esse genitores ad aliquid, saltem titulo poenitentiae, brephotrophio tribuendum.

735. — QAER. 5^o *Quantum hospitio tribui debeat, iuxta prioris sententiae patronos? (13).*

Resp. Non potest certa regula definiri. Solutio enim quaestionis pendet a variis rerum et locorum adiunctis, a vita producta, aut a morte praematura proles. Vix autem (aiunt) sexta pars puerorum ad aetatem duodecim annorum pervenit, et saepius a genitoribus ignoratur, utrum vivant, neene. Unde concludunt, satis erit, si parentes pro rata dubii 200. vel 150 fr. brephotrophio solvant. — Bouvier, *ibid.* — V. *Casus*, n. 743. et seq.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM.

In bonis fortunae in casibus particularibus, scilicet 1^o quoad tributa; 2^o quoad militiam; 3^o quoad direptionem bonorum tempore perturbationis Galliae sub fine saeculi XVIII.

ARTICULUS I. — DE TRIBUTIS.

736. — Tributi nomine intelligitur pensio, quam subditi solvunt de propriis bonis Gubernio vel principi ad sumptus Reipublicae communes.

Alia sunt tributa *directa*, quae actualia et determinata bona privatorum afficiunt; alia *indirecta*, quae immediate respiciunt certas merces, et mediate tantum personas, quae eas transvehunt, vendunt, emunt, etc. ut sunt gallice: *les droits réunis, les douanes*, etc.

737. **Principia.** — I. Impositio tributi est actio supremi domini in bona subditorum, et proinde ad illa imponenda requiritur suprema et

(13) Cum secunda quoque sententia satis probabilis, imo S. Alphonsi iudicio sit probabilior, inutilis videtur haec quaestio; quia obligationem solvendi aliquid

tamquam ex iustitia debitum Confessarius imponere non potest; si vero de elemosyna libere tribuenda sermo sit, quantitas arbitrio tribuentis permittenda videtur.

legitima auctoritas. Ea enim sola iure domini alti (1) pollet, quia sola toti communitati praestat.

II. — Princeps habet potestatem tributa imponendi; etenim potestas eius ad totum illud extenditur, quod requirit bonum commune; bonum autem commune exigit, ut subditi ad onera Reipublicae ferenda concurrant. — S. Lig. n. 615. etc.

III. — Oportet, 1^o ut tributa pro necessitate vel utilitate communitatis exigantur; 2^o ut aequalitas inter subditos servetur, habita ratione facultatum, quas possident. — S. Lig. n. 615. — Lugo. — Billuart.

IV. — Leges, quae versantur circa tributa, generatim spectatae, non sunt mere poenales, sed in conscientia obligant. Deducitur 1^o ex verbis Christi, *Matth. 22. 21.:* *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari.* — *Ad Rom. 13. 5.:* *Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa praestatis...* — *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* — 2^o Patet etiam ex ratione; Princeps enim ad onera Reipublicae ferenda tenetur: ergo a pari subditi tenentur ex iustitia (2) ad media pro bono communi promovendo necessaria subministranda. — S. Lig. n. 615. 616.

738. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An semper urgenda sit sub poena peccati et denegandae absolutionis obligatio tum solvendi vectigalia seu tributa indirecta, tum restituendi pro rata peractae defraudationis?*

Resp. Solutio huius quaestionis difficultate non caret; de sequentibus conveniunt sat communiter.

I. Adhortandi sunt sedulo fideles, ut tributa diligenter solvant, et ab omni eorum defraudatione abstineant. Neque tamen expedit, ut Confessarius petat a poenitentibus, qui in confessione de tributis tacent, utrum alicuius defraudationis rei sint; ne forte iis, qui in bona fide sunt, malam fidem inutiliter iniiciat.

II. Damnandi sunt autem,

1^o Qui vectigalibus exigendis praepositos mediis iniustus (3) corrumpunt, ne officio suo fungantur; peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando.

2^o Qui non solvunt tributa iam a longo tempore imposita, quaeque

(1) Ius alti domini, prouti communiter accipitur, nihil huc pertinet. Potestas imponendi tributa ideo supremo tantum reipublicae rectori tribuitur, quia ad ipsum solum spectat cura communitatem ad finem suum per media idonea dirigendi. Aliquod tamen tributum exigendi facultas fieri solet etiam municipiorum magistratibus, quo

scilicet specialibus singulorum locorum necessitatibus prospiciatur.

(2) Intellige *iustitiam legalem*, qua et princeps et subditi pro sua quisque parte tenentur oneribus societatis ferendis necessaria praesidia conferre.

(3) Muneribus videlicet, promissionibus, metu, etc.

ab omnibus soluta fuere, nec unquam reclamatio de ipsorum iniustitia (4) audita fuit.

3^o Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; hi enim peccant 1^o contra obedientiam: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ad Rom. 13. 2.;* — 2^o contra iustitiam legalem; nam lex quae respicit tributa, etiamsi aliquando ut mere poenalis haberetur, gubernatoribus tamen ius certum tribuit ad multam exigendam (5), si subditi in fraude deprehendantur.

4^o Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, atque animo resistendi etiam armati diu nocturne vagantur; huiusmodi enim homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi.

5^o Nec indulgendum est iis, qui licet nunquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem defraudandi incumbunt, eamque veluti vitae professionem habent; hi enim saltem animae periculis haud raro exponuntur (6).

739. — Verum quot et quanta in caeteris casibus occurrant difficultates neminem fugit. Utrum aliquando cum poenitentibus mitius agere liceat, duplex datur sententia, affirmans scilicet et negans. Non audet rem dirimere ipse S. Ligorius, qui expositis rationibus nonnullorum theologorum in benigniorem partem propendentium (n. 616.), ait. *An autem, propter has rationes, quae caeterum non videntur contemnendae, ipsa (affirmativa sententia) sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto.* Et *Hom. apost. n. 18. concludit: Hoc tamen non obstante, ego non omitto primam (negantem) sententiam suadere.* — Praecipua autem eorum Doctorum ratio in consuetudine universali taliter legem accipiendi et interpretandi innititur. Quamobrem nobis quoque satis erit, si expositis sententiis nonnullorum theologorum pietate ac doctrina praestantium, pio lectori electionem relinquamus. Sic igitur illi:

740. — **BONACINA**, disp. 2. *de Restitut.* quaest. 9. punct. 1. prop. 2., quoad tributa indirecta, ait: — *Nobis sufficiat dicere, probabiliter defendi posse quod asserimus, ne onus nimium grave poenitentibus imponamus post factum, quamvis ante factum haec sententia benignior non sit consulenda, cum Principis edicta non sint facile reprehendenda.*

(4) Haec resolutio forte supponit, quod est in quaestione. Deinde quomodo sciam, aliquod tributum (nisi ex illis sit, quae exigentium oculos fugere non possunt) semper ab omnibus fuisse solutum?

(5) Ius tamen ad multam non fundat debitum iustitiae commutativae; quocirca

multae evasio non metitur cum obligatione restituendi.

(6) Potiusquam animae, ingens utique fortunarum periculum isti subeunt. Nam et mercium amissio et superaddita multae irrogatio, quoties deprehendantur in fraude, potest eos et cum ipsis etiam familiam ad extremam egestatem adducere.

VOGLER, n. 332. — *Etiamsi fideles sint maxime hortandi ut tributa diligenter solvant, si tamen subinde aliquantum defraudant, non obligandi videntur ad restitutionem, quia communissima praxis id habet, Principes connivent, et in tanta multitudine tributorum sapientissimi quique dubitant, an omnia sint iusta* (7).

LUGO, d. 36. n. 43. — *Mihi, inquit, semper maxime placuit consilium P. Molinae... ante factum, consulendum esse ne tributa defraudentur; post factum, si poenitens sibi certo aut probabiliter persuadeat in tanta tributorum multitudine esse aliquid iniustum..., non esse cogendum a Confessario ad restitutionem; hac tamen doctrina prudenter utendum esse, tum ne Sacramentum Poenitentiae reddant nimis grave, et ne viam salutis praecludant multis, qui si a Confessario obligentur, non restituent et aeternam damnationem incurrunt.*

741. — SCAVINI (*Theologia moralis*, ed. Novariae, 1845), de Restitut., c. 1. art. 1. exposita negativa sententia, quam communissimam et probabilior agnoscit, sic ait: *Secunda sententia, quae affirmat, non caret sua auctoritate et probabilitate... Quidquid sit circa tam primae quam etiam secundae sententiae probabilitatem (quod sapientioribus definiendum remittimus), unum nos pro praxi monemus cum doctissimo Card. de Lugo: Generaliter loquendo, admonendi sunt populi et excitandi ad tributa solvenda, sed post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta rectigalium multitudine aliquid iniuste solvisse, vel competenter contribuisset ad publicas necessitates* (8).

742. — ROUSSELOT (*in notis ad Theolog. mor. Saettler, de Leg.* part. 2. c. 2. art. 3.) quoad tributa imposita in merces, quarum commercium omnibus permittitur sub conditione tributi solvendi, haec habet: *Non datur obligatio solvendi quaedam tributa antequam petantur, v. gr. tributa ad portam civitatis, ad pontem, etc. Sic enim fert consuetudo, et leges ultra consuetudinem non obligant. Caeterum cum auctore (Saettler) et aliis bene multis extraneis probabiliter asserti potest, tributa*

(7) Vogler, uti patet, rationes congerit ex utraque opposita sententia: ex prima quidem, cum ob praxim communissimam et principum conniventiam defraudantes ab obligatione solvendi eximit; e secunda vero, cum obligationem supponit, sed non solventes ratione alicuius in tributis ipsis iniustitiae excusat. Nec aliter etiam De Lugo, qui mox ab A. allegatur, inter utramque sententiam claudicans, iuxta alteram

dicat utendum potius consilio, iuxta alteram excusat a restitutione ob aliquem forte tributorum excessum.

(8) Sed Lugo (cit. disp. 36. n. 42.) monerat, neque obligationem contribuendi ad necessitates publicas, neque maius aliorum gravamen ob aliorum defectum, cogere ad negandam oppositam sententiam, quae non damnat eum, qui sese eximere forte a solvendo potuerit.

illa, pro quibus exigendis constituti sunt custodes et exactores, neque in conscientia solvenda esse, nec ea fraudantes ad restitutionem teneri.

His rite perpensis, non statim nec facile pronuntiandum, tributorum indirectorum fraudationem peccaminosam esse, et ad restitutionem obligare. Attamen haec non praedicentur super tecta; sed cum S. Ligorio et Saettler, Pastores et Confessarii legum observantiam etiam in hac materia urgeant, a transgressionibus pro virili absterreant; at transgressores non statim peccati gravis (9) damnent, nec eos ad restituendum adigant, praesertim si maiora mala, v. gr. Sacramentorum desertio, sint reformidanda. Aliunde bona fides saepius intercedit, cui merito relinquuntur.

Card. GOUSSET (*Theolog. moral. t. 1. n. 999.*) urget generatim obligationem solvendi omnia tributa cuiusvis generis sint, non obstante contraria consuetudine, quam errorem vulgarem appellat (10). Prudentiam tamen sedulo commendat Confessario, ne forte remota spe fructus, et accedente summo salutis periculo, defraudantes ex bona in malam fidem inducat.

743. — QUÆR. 2^o *Cuinam debeat fieri restitutio, si quando facienda sit ratione tributi defraudati* (11).

Resp. Duplex datur sententia: iuxta antiquos Doctores restituendum est Principi, cuius violatum ius fuit. At iuxta multos recentiores pietate et doctrina conspicuos, teste Bouvier, non Principi, nec subditis est restituendum; sed in usus pios vel in pauperes defraudata pecunia impendi debet. 1^o *Non Principi*, quia non suppetit modus, quo id fieri possit. Praeterea Principes nullum damnum patiuntur; praevidentes enim fraudes, maiora imponunt tributa. 2^o *Non subditis laesis*, quia singulis restitutio fieri nequit: ergo in pauperes, vel in publicas utilitates summa impendi debet. Concinit Gousset, n. 999. — *Recolle dicta supra n. 712.*

(9) Ecce tibi hominem inter incerta claudicantem. Prius negare videtur obligationem indirecta tributa sponte solvendi; dein addit, id *non statim nec facile* pronuntiandum; postea rem constringit ad quaestionem peccati *gravis*; demum quasi non concedit usum primae doctrinae, nisi graviora mala timeantur. Quae methodus utrum ad conscientias laqueis expediendas, an magis implicandas conferat, alii indicent.

(10) Quod intrepide tamquam *vulgi error* traducatur doctrina, quam vel professi sunt, vel ut probabilem permiserunt, vel saltem non ausi sunt improbare tot

summi viri, quos suspicere merito solemus et debemus, id enimvero difficile est. Itemque quod contrariae consuetudini nihil deferendum sit, ubi de legis alicuius obligatione et interpretatione quaestio sit, hoc etiam perarduum est.

(11) Cum fere unanimis DD. sententia sit, fideles ad restitutionem fraudati tributi aut adigi licite non posse, quippe desit culpa, aut saltem nullo modo expedire, ut haec obligatio urgeatur; haec quaestio inutilis videri potest. Ast utilis saltem est, si quando alio modo, v. gr. per furta damnum publicae rei quispiam intulerit.

744. — **QUAER.** 3^o *An peccent et ad restitutionem teneantur importantes merces prohibitas?*

Resp. 1^o *Quoad restitutionem neg.* absolute, quia nullius ius strictum laedunt. Etenim non violant ius *Principis*, quia illas merces sibi non reservavit, nec tributum ullum in eas imposuit; nec *privati alicuius*, quia nullus est, qui privilegium has merces vendendi habeat (12). — Bouvier, *Tract. de Restitutione in fine, et alii communiter.*

Resp. 2^o *Quoad peccatum, controvertitur: alii affirmant, defraudantes peccare, et quidem per se graviter, quia violant leges, quae vere obligant in conscientia per se, et non solum per accidens.* — Bouvier, *ibid.* — Alii vero *negant*, quia istae leges ex consuetudine habentur ut mere poenales.

Saltem non sunt damnandi de peccato, qui merces prohibitas important in parva quantitate et ad usum proprium, praesertim si sint pauperes. Caeteri vero facile peccare possunt contra charitatem in seipsos, poenis gravissimis se exponendo.

745. — **QUAER.** 4^o *An peccent contra iustitiam praepositi, quoties tributum non exigunt?*

Resp. Affirm., per se generatim, et quidem graviter in materia gravi. Ratio patet, siquidem se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda. Quare si officio suo desint, ad restitutionem tenentur erga Principem, vel Rempubicam. — *Ita communiter.*

Dixi *generatim*, quia iuxta plures praepositi vectigalibus exigendis non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in re levi, praecipue cum pauperibus, vel etiam cum iis, qui alias diligenter solvunt. — V. *Casus*, n. 731. et seq.

ARTICULUS II. — DE DAMNO OCCASIONE MILITIAE ILLATO

746. **Principia.** — I. Ad nihil tenentur milites ratione damni per actionem communem illati, nisi ipsis de iniustitia belli constet, quia non sunt damnificatores *formaliter* iniusti. — *Recole dicta de quinto praec. Decalogi*, n. 406. et seq.

II. Milites autem in bello *evidenter iniusto* tenentur de damnis omnibus, quae per actionem privatam intulerunt; et tenentur singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint. — *Vide supra de iniusto damno* n. 658. et seq.

III. Duces autem seu Principes tenentur primario et in solidum de toto damno per exercitum illato, quia sunt vere mandantes; vel sin minus damnum imperarunt, illud tamen ex officio impedire tenebantur.

(12) Etiamsi princeps hoc sibi ius reservasset, aut imposuisset tributum, aut privilegium vendendi eas merces cuipiam tribuisset, attamen de obligatione restituendi non magis constat, quam superius disputata suadeant.

747. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An singuli milites in aliorum defectu teneantur in solidum de toto damno ab exercitu illato?*

Resp. Neg. probabilius; quia singuli non totius damni causa sunt, sed partis tantum. Caeterum in praxi ex impotentia absoluta forent excusandi. — Lugo *cum aliis.*

QUAER. 2^o *Ad quid teneantur milites conscripti desertores?*

Resp. 1^o Ex obedientia seu ex iustitia legali tenentur ad castra redire. — *Ita communiter.*

Excipe 1^o si grave salutis periculum offenderent, v. gr. si media confitendi non suppetarent..., etc... ut aliquibus in locis evenire potest...; 2^o si redeuntes morte, triremibus, aliisque gravissimis poenis plectendi forent; 3^o si bellum sit evidenter iniustum.

Resp. 2^o Certo autem ad nullam restitutionem tenentur desertores, ubi lex alios ipsorum loco non requirit: quia nullo modo iustitiam commutativam laedunt, cum nulli alteri damnum inferant.

(Sic in Gallia ex nova lege *conscriptionis* data 10 martii 1818).

748. — **QUAER.** 3^o *Ad quid teneantur, qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt?*

Resp. Per se tenentur pretium acceptum restituere illi, a quo acceperunt, quia ipsis deest ratio retinendi pecuniam, quae non nisi propter militiae onus erogatur.

Attamen hoc videtur valere tantum, ubi ille, qui militem loco sui conduxit, periculo militiam subeundi exponitur. Periculum autem illud in Gallia non datur, excepto primo militiae anno, pro quo solo conductores respondent.

749. — **QUAER.** 4^o *Ad quid teneantur sorte designati ad militiam, qui ab hac se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent?*

Resp. 1^o Qui magistratus vel medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, ad restitutionem certo tenentur (13). — *Ita omnes.*

Resp. 2^o Item iuxta communiorem sententiam qui mendaciis, fraudibus aut praevia mutilatione magistratus decipiunt. Ratio est, quia postquam sors, prouti leges statuunt, definit, quinam militiae onus subire debeant, quinam vero eo eximantur, postulant sane iustitiae iura, ne militiae iam adsignati iniquis mediis utantur ad onus excutiendum, quod in exemptos recidat, necesse est. — Ita Bouvier, *de Restitutione*, quaest. 2. art. 2. — Gousset, n. 1002. — Collat. Andeg., etc.

(13) Haec enim vero aegre cum iis compones, quae dein A. subiicit iuxta aliorum sententiam. Neque in hanc rem ullius momenti discrimen est, quod inter istam et sequentem hypothesim habetur. Perinde enim est, sive ad militiam sorte designati per se soli fraudem moliantur, qua se inique subtrahant, sive fraudis socios medicos aut magistratus adhibeant.

Negant tamen alii *plures*, quorum sententia sat probabilis apparet. Ratio horum est, quia hi conscripti non sunt causa efficax, cur alii requirantur; deceptio enim neque *physice* neque *moraliter* incitat magistratus ad alios inscribendos. Nec sunt etiam causa iniusta, siquidem non constat, alios ius strictum habere, ut sorte designati in militiam proficiantur. Igitur licet peccent contra iustitiam legalem seu obedientiam legi debitam, non tamen peccant contra iustitiam commutativam, nec proinde ad restitutionem tenentur. *Ita Collat. Anic. de Restit.*, n. 172. Utramque opinionem aequè probabilem admittit Lyonnet, *de Restitutione in fine*. — Nec desunt, qui hanc legem iustitiae distributivae adversari existiment, cum solae familiae iuvenes militiae idoneos habentes tantum onus subeant.

Quidquid sit, in praxi sapientissimum erit, etiam in prima sententia non valde urgere iuvenes, qui praedictis mediis a militia sese liberarunt (14). Plerique enim nequaquam committi iniustitiam putant, et alioquin raro monitis obtemperarent. — *Ita auctores citati*. — V. *Casus*, n. 737. et seq.

ARTICULUS III.

DE DIREPTIONE BONORUM TEMPORE PERTURBATIONIS GALLIAE

§. I. De bonis ecclesiasticis.

730. **Notanda.** — I. Bona Ecclesiae alia direpta fuere a Gubernio ipso, alia a privatis.

II. Pius VII. conventionem inivit 15. Aug. 1801. cum Napoleone, primo Consule, qua a restitutione liberavit acquirentes bonorum ecclesiasticorum.

III. *S. Poenitentiarum*, in Rescripto ad illustriss. D. Bouvier, 20. Martii 1818. ita declaravit: *S. Poenitentiarum de expressa auctoritate apostolica consulenti oratori declarat bona ecclesiastica a Gubernio occupata ante conventionem initam anno 1801. inter S. Sedem et Gubernium Gallicanum, in plena acquirentium potestate esse.*

IV. Pius VII. Breve ad Episc. Pietaviensem 20. Octobris 1821. direxit, in quo declaravit, concessionem bonorum prius a S. Pontifice factam applicari posse omnibus bonis ecclesiasticis a Gubernio prius usurpatis, sive ea iam alienaverit ante conventionem ann. 1801., sive nondum tunc alienaverit.

(14) Si secundae quoque sententiae sua probabilitas constat, non solum in praxi erit sapientissimum non urgere ad restitutionem, sed iniquum foret restitutionem exigere. Et ratio manifesta est; quippe

iniustum est et contrarium axiomati, quod *melior sit conditio possidentis*, imponere certum restitutionis onus, quando probabile est, nullam huius oneris obligationem existere.

731. **Resolves.** — 1^o Qui bona ecclesiastica propria auctoritate usurparunt, graviter peccarunt, et adhuc ad restitutionem tenentur; fures enim sunt, nec ulla eis condonatio facta est.

2^o Qui vero ea bona occuparunt favente lege civili, peccarunt et ad restitutionem tenebantur ante conventionem ann. 1801., non vero postea ex concessione S. Pontificis.

3^o Qui post hoc pactum acceperunt bona Ecclesiae non adhuc alienata, contra iustitiam peccarunt, et ad restitutionem fuerunt obligati, quia vi conventionis concessio facta non fuerat nisi pro bonis iam alienatis (15).

§. II. De bonis privatorum.

732. **Notanda.** — I. Bona privatorum iniuste proscriptorum (*des émigrés*), alia a Republica, alia a privatis occupata fuere, prout modo de bonis ecclesiasticis dictum est.

II. Ludovicus XVIII. an. 1814., Constitutionem publicam tulit ad huiusmodi possessiones confirmandas — Carolus X., lege lata die 27. Apr. 1825., declaravit omnes proprietates nationales inviolabiles, et statuit indemnitate privatis laesis esse solvendam. *Trente millions, au capital d'un milliard, sont affectés à l'indemnité par l'Etat au Français, dont les biensfonds situés en France, ou qui faisaient partie du territoire de la France au 1^{er} Janvier 1792., ont été confisqués, ou aliénés, en exécution des lois sur les émigrés, les déportés et les condamnés révolutionnairement.*

733. **Resolves.** — 1^o Privati, qui propria auctoritate bona haec occuparunt, adhuc ad restitutionem tenentur, et numquam praescribere poterunt, cum malae fidei possessores fuerint.

2^o Acquirentes bonorum nationalium ad restitutionem tenebantur usque ad tempus *Restaurationis*; nulla enim legitima dominii translatio facta fuerat.

3^o Iidem acquirentes ab ann. 1814. et praesertim a die 27. April., quo lex indemnitate sancita est, non amplius ad restitutionem tenentur, modo acquisitio fuerit legalis seu auctoritate Gubernii facta.

4^o Non constat, bona mobilia comprehendi sub beneficio ratihabitationis: lex enim anni 1814. nullum de istis verbum habet; et lex anni 1825. non loquitur nisi de immobilibus. Attamen plurimi de mobilibus, quae praediis aut domibus adnexa sint, idem ac de immobilibus sentiendum putant; quia accessorium principale sequitur.

(15) Haec resolutio ex praemissis annum 1801. et ante Breve annum 1821. (n. praec.) videtur intelligenda de bonis, (*) Forte heic loco vocis *alienata* legendum est *usurpata* nempe a Gubernio.